



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Mavricio Episcopo Nanneten.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

EPISCOPO ET CAPITULO
Tornacen.

Epist. 489.
Vt ab injuriis
dicto monaste-
rio inferendis
abstineant.

A Molestatione indebita monasterij Corbeien. vestram etiam sine mandato nostro deberetis taliter compescere voluntatem, quod non videremini illud in suis justitiis contra privilegia sedis apostolicæ fatigare. Significantibus siquidem nobis &c. *ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum turbare.* Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Noviom. Episcopo & dilectis filiis Compendien. & sancti Medardi Sueffionen. Abbatibus dedisse firmiter in mandatis ut vos à molestatione ipsius contra privilegia Romanorum Pontificum, appellatione remota, qua expedire viderint districtione compescant. Nullis literis &c. Datum ut supra.

MAURICIO EPISCOPO
Nanneten.

Epist. 490.
Ipsium transfert
ad Ecclesiam
Pictavicalem.

C Vm sedes apostolica à Deo plenitudinem suscepit potestatis, nos, qui ei, licet immeriti, divina favente clementia præsidemus, sic convenit omnium Ecclesiarum provisionibus cogitare, quod illi qui supra se ipsum petram stabilitate fundavit, de commissis nobis dignam valeamus reddere rationem, quia super nos alium judicem non habemus. Licet autem inter Ecclesiam & Episcopum esse spirituale matrimonium cognoscamus, quod non potest nec debet humano judicio separari, ipse tamen Dominus noster & magister soli beato Petro Vicario ejus, & per ipsum successoribus suis, & nobis ipsis, qui, licet indigni, locum tenemus ipsius, transferendi & deponendi Pontifices & eorum cessiones recipiendi, Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, sicut testatur antiquitas, & sacrorum canonum asserunt sanctiones, speciali privilegio tribuit potestatem. Quod quidem provida & sancta dignoscitur deliberatione statutum, ut quos Deus spirituali conjunctione ligavit, non homo, quia non Vicarius hominis, sed Deus, quia Dei Vicarius, separaret, ut non videatur contra doctrinam evangelicam attentari, in qua dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separret.* Intelleximus siquidem per literas venerab. fratrum nostrorum Bituricen. & Burdegalen. Archiepiscoporum, & Episcopi Xanctonenfis, & dilectorum filio-

rum Decani & Capituli Ecclesiæ Pictavenfis, necnon Abbatum & aliorum Prælatorum Ecclesiarum Pictaven. diocesis nostro apostolatu præsentatas, quod defuncto bonæ memoriæ Ademaro quondam Pictaven. Episcopo, prædicti Decanus & Capitulum in personam tuam unanimiter convenerunt, te ipsis in Episcopum concedi à sede apostolica postulantes. Nos verò cum fratribus nostris deliberato consilio, ad nostram memoriam reducentes quantum Pictaven. Ecclesia post decessum felicis recordationis Willielmi quondam Pictaven. Episcopi pro substitutione Pontificis laboraverit, credentes etiam quod per sollicitudinis tuæ prudentiam Ecclesia ipsa in spiritualibus & temporalibus assiduum suscipiat auctore Domino incrementum, cum in talibus secundum instituta canonum evidens utilitas & urgens necessitas considerari debeat & attendi, utile cognovimus & necessarium ut de minori civitate ad majorem, de populosa diocesi ad populosiorum, & de nobili ad nobiliorem Ecclesiam apostolica debeas auctoritate transire, ubi talentum tibi creditum Domino tuo valeas reddere duplicatum. Sanctorum igitur patrum institutionibus & prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui translationes hujusmodi, consideratis Ecclesiarum utilitatibus & necessitatibus, facere sæpius consueverunt, superdictorum Decani & Capituli & Cleri Pictaven. petitioni clementer annuimus, & ut à Nanneten. ad Ecclesiam transeas Pictaven. de benignitate sedis apostolicæ liberam indulgemus tibi auctoritate præsentium facultatem. Datum ut supra.

BURDEGALEN. ARCHIEPISC.

C Vm sedes apostolica &c. *ut supra ferè in eundem modum usque ad verbum facultatem.* Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum Episcopum sicut venerabilem in Christo fratrem habeas, & fraterna benignius caritate pertractes, ut ipse te in doctrina patrem & pastorem suum, & in mansuetudine fratrem agnoscatur. Datum ut supra.

Epist. 491.
De eadem it.

✠